





8

1800 2.

PROCANCELLARIVS  
D. CHRISTIANVS GOTTLLOB BIENERVS

FACVLTATIS IVRIDICAE ADSESSOR

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

VIRO PRAENOBILISSLIMO

ADOLPHO FRIDERICO ASTER

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO

IN AVDITORIO IVRECONSVLTORVM

A. D. XXIV. APRILIS MDCCLCCC.

SOLEMNITER CONFERENDOS

INDICIT

---

Praemissa est prolusio

DE FIDE IVDICIALI

circa corporis delicti certitudinem in diffensionibus protocolli iudicialis et visi reperti secantiumque inter se, nec non visi reperti aut unius alteriusue secantis et Facultatis Medicae recte aestimanda.

PROGAGNATIONES  
CHRISTIANUS GOTTLOB UNDREAS

SUMMOS IN AVTOLAE IARTE MONOTERI

OMNIA HABENTUR

PLATEA CORDENS TERRA CLOSA

CONTRAPORTATUR VENITUR

EXCEPTE SILENTIO VITIOVIA LI

CONCILIA VITIOVIA DUXIT

EXCEPTE SILENTIO VITIOVIA

---

### *DE FIDE IUDICIALI*

*circa corporis delicti certitudinem in dissensionibus protocoli  
iudicialis et viisi reperti secantiumque inter se, nec non viisi reperti  
aut unius alteriusue secantis et Facultatis Medicæ recte  
aestimanda.*

#### *§. I.*

*Quorum fide et auctoritate iudicia criminalia sustineantur.*

**Q**uo maioris momenti sunt res et causae criminales, quippe in his non de lana caprina tribusue capellis, sed de fama et existimatione hominis, sed de corpore eiusque integritate, sed de bonis et vniuersa hominis fortuna, sed de vita seruanda amittendaue, atque salute et securitate publica agitur; eo maiore cautione et circumspectione opus est in iis omnibus, quae fidem et sanctitatem horum iudiciorum constituant. Iudices caufarum criminalium rem totam ex fide aliena iudicare oportet, adeo ut ne quod ipsi aut viderunt, aut cognoverunt, aut praeter acta intellexerunt, in definiendis hisce causis adhibere queant, facile igitur intellectu est, quaestionem; quorum fide et auctoritate iudicium criminale, tam in vniuersum, quam in singulis actibus, in iis praesertim, qui vim habent in reorum aut condemnacionem aut absolutionem, sustineatur? maximi esse momenti.

Equidem hac scribendi opportunitate, de fide earum personarum, quae in causa homicidii circa corporis delicti certi-

tudinem eruendam ac definiendam occupantur, tum in vniuersum, quam dissensionibus inter ipsas exortis, breui dicam. Tria autem personarum genera in causa homicidii et legitima cadaueris sectione concurrunt, quarum fide et auctoritate in definienda corporis delicti certitudine vtimur, Notarii publici personarumque ad iudicium criminale pertinentium, Chirurgi et Medici secantium, et Facultatis Medicae in causa dubia respondentis. Notarii publici ab antiquissimis fere temporibus in iudiciis adhibiti fuerunt, qui acta et gesta in scripturam fide publica redigerent. FRIDERICVS II. A. recessu imperii anno 1235. constituit, vt Index Curiae scribam perpetuum eumque laicum sacramento adstrictum haberet, qui processus sententiasque criminales aliasque causas ad acta referret et custodiret. Inde mos manauit vt scriba in iudiciis criminalibus requiretur, qui et acta conficeret, quique facta et gesta annotaret, atque CAROLVS V. A. constitutione criminali art. V. fanciuit, vt scriba iudiciorum criminalium iureurando adstringeretur. An scriba iudicij criminalis ex mente legum Germanicarum simul esse debeat Notarius Caesareus, quaeri potest. Quod equidem tam ex significacione verbi, quippe scriba iudicij olim vocabatur Notarius, quam ex historia iudiciorum criminalium, in quibus soli Notarii ante Friderici II. A. legem adhibebantur, quid quod ex ipso munere ac forma expediendis rebus generatim art. CLXXXI. seqq. in primis art. CLXXXVIII. praescripta, intelligere mihi videor. Quamobrem regulam stabiliendam puto, fidem protocolli iudicialis niti fide et auctoritate Notarii, ad scribendum annotandumque id, quod in iudicio criminali gestum actumue fuit, iureurando obstricti. Iam dici solent Actuarii, Iuridici et quae reliqua sunt nomina, et nouum inde manauit attributum, vt in hoc ipso iudicio, in quo res agitur, iureurando recepti sint. Evidem non dubito in singulis Germaniae territorii exceptio-nes occurrere, vt aut sola Notarii fides, aut muneris suffcepti accidente iureurando ratio sufficiat, quemadmodum olim et ante duos adhuc annos in Lusatia soli Notarii in iudiciis criminalibus adhiberi poterant, quod tamen per EDICTVM die XXVII.

Augu-

*Augus*ti* 1798.* in Lusatia superiore vetitum simulque iussum fuit; vt Notarii et Scribae in iudiciis criminalibus sacramento rite obligarentur, neque tamen non nostra interest habere regulam, qua fides et valor protocolli judicialis existimetur. Ex quibus efficitur, vt gesta et acta iudiciorum criminalium, quatenus praesertim in prae*iudicium* rei vergunt, non aliter sustineri queant, nisi fide et auctoritate Notarii ad id ipsum annotandum rite obligati. At vero ne erret atque iuris communis forma obseruetur, in omni actu criminali, quem Notarius explicare vult, duorum Scabinorum iure*jurando* ob*strictorum* praesentia opus est, et vt actus valeat, quippe Notarius caufarum criminalium notione caret, magistratus criminalis competentis auctoritas et praesentia accedit necesse est. Ipsius protocollo folius Notarii subscriptione munitum fidem publicam habet, modo et iudicis et scabinorum praesentia in eodem annotetur, sed in Saxonia Lufatique, *LEGE CRIMINALI anno 1770.* promulgata atque 1783. repetita §. 1. cautum, vt et scabini et iudex propria manu protocollo sub*scribant*, fidemque eius firment. Quod si in causa criminali, in qua de vita hominis aut de poena corporali quaeritur, omissum fuit, interloquitur quod sententiam concipit dicasterium, vt subscriptio aut suppleatur aut actus, si fieri potest, iteretur.

Non semper harum personarum fide sola constat iudicium criminale, accedit interdum fides et auctoritas peritorum arte, de his breui dicam. Saepe enim contingit, vt singularis aliqua in eo requiratur peritia, qui iustam rei alicuius notionem suscipere vult. Necesse igitur est, vt eius artis peritus, qui cognoscere et recte iudicare valet de hac re, adhibeat eiusque rei ergo iure*jurando* ob*stringatur*. In hunc igitur nunc omnia ea concurrunt, quae eius dictis factisque plenam conciliant fidem, ita tamen, vt fides haec et auctoritas intra fines artis coegeretur. Quod si enim de re ad artem suam non pertinente, iudicat, nihil agit. Inter arte peritos, quorum frequens et necessarius est in cognitione caufarum criminalium usus, eminent chirurgi et medici, quorum ope consilioque magistratus crimi-

nalis saepe eget, tam in aliis cognitionis artificialis casibus, quam in primis in corpore delicti, si de homicidio eiusque probatione et certitudine habenda quaeritur. Quos secantes a principali, quem explicant actu, vocabimus, hos autem cum agant faciantque aliquid, de cuius fide et auctoritate certi esse debemus, iureirando obstringi debere satis manifestum est. Factum enim et artem praestant. Tandem etiam fieri potest, ut Facultas Medica in causis dubiis consulatur. Huius membra nouo iureirando magistratus criminalis auctoritate non obstringuntur, quippe non factum, sed artem duntaxat praestant, in hac autem, quod praefliterunt sacramentum, sufficere videtur.

Duo casus contingere possunt, si iudicandum est in causa criminali, aut enim in unum omnia conspirant, quae scriba publicus in protocollum, retulit, quae chirurgus et medicus ex fide sacramenti sui renunciauit, quae ordo medicorum interrogatus artis suae fiducia respondit, neque dubitari potest, quin summa certitudo ac fides, quae in talibus rebus haberi potest, adsit<sup>1)</sup>), aut discrepant, quae scriba iudicii ad acta retulit,  
quae

1) In causis criminalibus liquidissimae atque ita comparatae esse debent probationes, ut plenam fidem persuasionemque, rem ita nec aliter esse, in iudice conficiant. Haec fides, a fide et scientia aliorum mutuara, est historica, quam THOMASIVS diff. de fide iusidica §. 44. esse ait, praefumtionem veritatis, de eo quod hominibus accidisse vel ab iis gestum esse dicitur. Ninitur haec fides, fide et auctoritate testium atque summus oritur certitudinis historicae gradus, si iudice ERNESTI in prol. de fide historica §. XI. testes hi rem et necessario sciunt, quo genere ii continentur, quorum officium est rem quandam cognoscere, et necessario verum dicere, ut ii, qui interposito sacramento id quod cognoverunt, affirmant. Quae quidem omnia, in iis, quorum fide iudicia criminalia confiant, exiguntur, ut index prudens ac follis haud facile decipi possit. Est et manet tamen fides historica, quae fallere potest, ideoque reus contra omnem eriminis probationem audiendus. Atque nuper Illustr. KLEINIVS in Archivio Iurispr. Crim. Vol. I. P. I. no. VIII. p. 165. sub a. recte monuit, in rebus facti, quales sunt criminales, certitudinem mathematicam haberi non posse, ideoque nos summe fidei historicae gradu contentos esse debere. Atque inde appetet quam periculosa sit

quae secantes renunciarunt, quaeve Facultas Medica respondit, nunc oritur magni momenti quaesito, cuius fides iudiciumue praecellat et reliquis praefet. Quod aliter existimare non possumus, nisi confet, de qua re quilibet iudicare possit debeatue<sup>2)</sup>. Fides enim cuiusvis intra fines artis et sacramenti continetur.

## §. II.

*De protocollo iudiciali eiusque contentis in legitima cadaueris sectione.*

Primum documentum, in quo fundamentum fidei iudicialis positum est, fine quo index criminalis nihil neque credere, neque decernere valet, est protocollum iudiciale seu registratura super actu sectionis in re praesente confectum. Auctor eius est Notarius, qui et Actuarius iudicii et in Saxonia Lufatiaque Aduocatus simul esse debet, ideoque forma protocolli ferialis est, qualis est instrumenti a Notario confecti. Quod si igitur, vti extra Saxoniam fieri potest ac solet, Notarius rogatus fuit, vt super actu sectionis instrumentum conficeret, more confueto refert, quae gesta et acta fuerunt, sed si Actuarius, qui perpetuus iudicii scriptor est, protocollum conficit, quaedam omittit, quae Notarius obseruat, in vtroque casu autem, si forma posthabita ipsam rem inspicis, protocollum iudiciale est instru-

fit ex indiciis condemnatio, et quam cautum esse oporteat iudicem in condemnatione reorum. (VDENVS) über die Glaubwürdigkeit der Medicinalberichte in peinlichen Rechtsbündeln (Berlin 1780, 8.) nonnulla etiam, quae ad hunc locum pertinent, obseruauit.

2) VDENVS c. I. p. 134. recte defendit viso reperto fidem denegari nec posse nec debere, si omnia, quae natura et leges praescribunt, observata fuerint et concurrant. Sed si dissensus oriatur, quid tum statuendum non disquisiuit.

## VIII

instrumentum publicum, quo scriba publicus in confessu iudicij criminalis ea, quae circa cadauer, de quo agitur, gesta et acta, inque cadauere ipso secantium ope, visa ac reperta fuerunt, annotauit. Contenta huius documenti duplicitis generis sunt, nimirum historia eius, quod vniuersim circa cadauer gestum actumque fuit, si forte antea sublatum inque alium locum translatum, quippe inde oritur fides, esse hoc cadauer, in quo causa mortis queritur, eaque pars pertingit vsque ad illud momentum, quo cadauer in manus secantium peruenit, deinde annotatio eius, quid secantes fecerint, quidque tam explorando examinandoque habitu corporis externo, cognouerint, tam secundo cadauere eiusque partibus comperierint; ex quo patet, laesiones tam externas corporis, quam internas, earumque locos ac mensuram, quatenus in facto consistunt ac sensibus percipiuntur, recenseri oportere. Quaeritur utrum altera haec pars ex propria scribentis fide, ut ipse omnia cognouerit suisque oculis usurpauerit, proficiisci debeat, an ex relatione secantium in protocollum referri possint. Evidem haec omnia propria scribentis experientia et sensu niti oportere arbitror. Quidquid enim protocollo continetur fide scribentis et subscriptentium constat, necesse igitur est, ut ipsi viderint cognouerintque, rem de qua testantur, alioquin, ut testes de auditu, nullam merentur fidem. Quamobrem quod MEISTERVS Brigensis apud PYLIVM in repertorio medicinae publicae et legalis Vol. III. p. 28 de necessaria iurisprudentiae in primis criminalis cum medicina legali coniunctione differit omnino probo, licet vir doctus passim, quae medicorum, quaeque iureconsultorum sunt miscere videatur. At vero si pars posterior protocolli in re praesente atque ex ipsa secantium narratione mox excepta fuit, non vitiatur eius auctoritas, praesumitur enim Actarius Notariusque ipsem et regulam autem hanc esse puto; omnia ea, quae in fictione cadaueris legitima facti sunt, in instrumentum super hoc actu confectum referri debere, atque ex hoc uno et solo fidem habere iudiciale.

§. III.

## §. III.

*De viso reperto secantium et Facultatis Medicae responso et utriusque fide.*

Alterum, quod super actu sectionis scribi solet instrumentum est, quod a fecantibus confessum subscriptumque ad acta exhibetur. Vism repertum vocare mos tulit, quippe totus sectionis actus, duabus partibus absoluatur, una, quae in examinando habitu cadaveris externo versatur et solo oculorum sustinetur iudicio absque cultro anatomico, altera, quae in uestigandis ac trutinandis laesioneibus, partibusque cadaveris anatomice dividendis cernitur, illa inspectio cadaveris, cui respondet visum, haec sectio appellatur, cui respondet, repertum. Quae medicorum sunt non tango, sed quae fides sit visi reperti quaero. Finis sectionis a magistratu criminali ordinati est, vt causa, ex qua perii homo, cuius cadaver adeat, uestigetur, atque index de eius veritate certior reddatur, seu uti *PLOUQVETIVS in commentario medico in processus criminales super homicidio, infanticidio et embryoctonia p. 31.* ait: quonam mortis genere defunctus sit, et quid laesiones repertae ad hanc mortem contulerint. Itaque relatio illa secantium duas partes complectitur, unam historicam, qua enarratur, quid in inspiciendo et secando cadavere cognitum fuerit, alteram medicam, qua ex his ipsis mortis causa demonstratur, illa facti, haec artis est. Quae facti sunt, protocollo iudiciali comprehensa esse debent, vt in hac parte utrumque instrumentum congruat, quo genere etiam singulorum vulnerum existentia atque mensura continetur; quae artis sunt, ab actuarii registratura abesse possunt, secantium enim haec propria sunt. Vism repertum, quippe a personis iureiurando obstrictis, quae rem de qua testantur, oculis suis viderunt, proficiscitur, plenam meretur fidem, atque si de omnibus, quae certitudo corporis delicti exigit, ex tali relatione constat, dubium non est, quin reus, modo facti, quod pro crimen ipsi imputatur, confessus aut conuictus sit, ad mortem adeo condemnari possit. Itaque necessarium non est, vt talis causa iterum iudicio facultatis

B

medi-

medicae subiiciatur, nisi forte legitima iudicem moueat causa, vt id faciat, aut criminis reus, defensionis gratia id postulet, aut legislator vno alteroue casu id praeceperitue.

Ordo Medicorum, qui in studiis vniuersalibus corpus publicum constituit, ex pluribus Doctoribus et Decano compositum, facultate respondendi de rebus ad artem medicam pertinentibus gaudet, edit igitur quoque magistratibus in caula criminali ro-gantibus responfa. Facultas Medica, cuius responsum in causa criminali desideratur, neque vidit quicquam, neque inuestigavit cadauer eiusque vulnera, sequitur igitur vt in iis, quae facti sunt, per se nullam fidem habeat. In facto cognoscendo, si de homicidio quaeritur, niti debet protocollo iudiciali et viso reperito, ita vt nihil ex propria scientia, si forte aliunde rem cognitam habeat, supplere queat. Quae ad illustrandum factum pertinent, ex reliquis actorum partibus promi possunt, sed quae fundamentum responso ac decisioni praebent, ex istis instrumen-tis sunt haurienda. Itaque responsum Facultatis Medicæ, quatenus in facto consistit, fidem suam a protocollo iudiciali et viso reperto mutuatur, adeo vt, si quid additum detractumue fuerit, inutile reddatur. At vero, vtrum nihil in sectione, quod ad cognitionem plenam perfectamque eius rei, de qua agitur, pertinet, omissum fuerit, vtrum singulæ partes, a quibus decisio rei et cau-fae pendet, recte examinatae fuerint, vtrum iudicium secantium ex iis, quae visa et reperta fuerunt, necessario sequatur, est Ordinis Medicorum iudicare, atque iudicem reddere certiorem. Itaque Facultas Medica fidem habet in iis, quae artis sunt.

#### §. IV-

*Si diffensus deprehendatur inter protocollum iudiciale et visum repertum,  
vtrum praeualeat.*

Quae facti sunt et protocollo iudicali annotantur et viso re-perito referuntur, ideoque facile euenire potest, vt diffensio in-ter

ter utrumque instrumentum deprehendatur. Quod ut recte iudicetur, tres casus fecernendi sunt. Primum quidem fieri potest, ut ex testimonii ipsaque rei confessione intelligatur, ex quo certitudo corporis delicti in homicidio iudicari queat, id ipsum autem neutro instrumento relatum cognoscatur, ut puta si cadaver caputue vulneratum laesumque, sed nullum vulnus lethale repertum fuerit, reus vero nunc fateatur, se hunc hominem veneno necasse, deinde autem gladio, ut secantes deciperet, confodisse, caputue clava percussisse; haec mortis causa addi aut suppleri nequit. Destituimur enim fidei judiciali, reusque talia fingere potest, ut taceam, certitudinem corporis delicti extra confessionem rei adesse oportere. Euadet igitur reus mortem ob corpus delicti negligentia secantium, qui non omnes partes examinarunt, incertum. Deinde si in alterutro instrumento aliquid, quod ad caput rei, veluti unum vulnus lethale, pertinet, omissum fuerit, an unum ex altero suppleri possit, quaeritur. Quae facti sunt fidei protocolli judicialis nituntur, ex quo efficitur, ut visum repertum, quatenus in eodem scribendo aliquid omissum fuerit, ex illo suppleri, atque tam secantes, quam Facultas Medica inde respondere queant, e contrario registratura judicialis ex viso reperto suppleri nec potest, nec debet. Hoc enim, quatenus in facto veratur, per se et sine protocollo judiciali fidem non habet, quippe secantes ad facta referenda non sunt obstricti, ideoque deest fidei publicae causa, deinde haec relatio forma caret, quae fidem protocollo conciliat, subscriptione nimirum personarum, quae iudicium constituant, tandem visum repertum non est authenticum, sed exemplar intra priuatos parietes ex subitanea ac tumultuaria scriptura memoriaque confectum. Ex quibus omnibus efficitur, ut viso reperto in rebus facti, praeter protocollo iudiciale, fides tribui nequeat, quod etiam QVISTORPIVS *Princ. Iur. Crim.* §. 66. atque HEBENSTREITIVS *Anthropolog. Forens.* p. 314. secuti sunt. Quamobrem cum anno 1797. in causa capitali visum repertum, vulnus unum tanquam lethale referret, indeque causam mortis repeteret, huius vulneris autem in registratura sectionis nulla

plane fieret mentio, Ordo ICtorum Lips. certitudinem corporis delicti deficere iudicauit, ideoque sententiam capitalem ferri nec posse nec debere. Tandem contingere potest, ut quae facti sunt, aliter in protocollo iudiciali, aliter in relatione medica enarentur, ut verus dissensus inter utrumque instrumentum adsit, quaeritur vtra relatio, actuarii an secantum, fidem mereatur. De iis quae facti sunt differo, ex quo apparet, protocolli fidem derogare viso reperto; quod si vero in protocollo tale quid irrepserit, quod artis est, ut puta vulnus in protocollo dicitur lethale vel non, cuius contrarium in viso reperto memoratur, non potest non hoc praeualere, existentia enim vulneris est facti, lethale sit nec ne, est artis, ideoque a protocollo iudicali abesse, certe nullam fidem p[re]viso reperto habere potest.

## §. V.

*Si dissentiant ipsi secantes, quid sequendum.*

Dissensus interdum inter ippos secantes deprehenditur, qui etsi tam frequens non est, atque LEYSERV<sup>S</sup> Spec. 598. med. 21. putat, contingit tamen, videamus igitur, quid in tali specie statuendum sit. Dissensio aut in facto occurrit aut in iudicio de vulnere aliquo principali et mortis causa. Quod si in facto dissentiant, ut unus vulnus hoc vel illud adsuisse aiat, alter neget, neutrius scriptura testimoniumque valebit, sed decisio ex protocollo iudicali promenda. Etenim si vulnus, de quo dissident secantes in protocollo iudiciale relatum fuit, fides protocollo habebitur, fin minus, tantum abest ut unius secantis testimonio credatur, ut ne utriusque quidem assertum vim et fidem protocolli vincat. Sed difficilior est quaestio, si et secantes et registratura vulnus attestantur, inter illos autem de vulnere aestimando et causa mortis inde arcessenda dissensio oriatur, ut unus lethale dixerit, alter autem id ipsum negauerit. Tres variorum auctorum opinione in proposito casu reperio, vna quidem eorum est, qui iudicium alterutrius secantis sequendum censem, quae

quae quidem in duas abit partes, alii enim veluti KEYSERV<sup>S</sup>  
*Prax. Crim. p. 106.* et MASCARDVS de prob. concl. 1169. no. 40.  
 praerogatiuam chirurgo, forte ob sanctionem CAROLI V. art.  
 149. alii medico veluti HERTIVS de insp. oculari §. 42. et PLOU-  
 QVETIVS c. l. p. 5. ob doctrinae praestantiam, tribuunt; altera  
 statuit neutrius iudicium valere, sed tertium aliquem artis per-  
 ritum adhiberi transmissionemque actorum ad Facultatem Medi-  
 cam fieri oportere, a qua parte HOMMELIVS diff. de lethalitate  
 vulnerum et inspectione cadaveris §. XIX. et KRESSIVS ad art. 147.  
 C. C. C. stant; tertia autem mitiorem in omni dissensu senten-  
 tiam esse amplectendam contendit, id quod KLOCKIVS T. III.  
*Conf. 193. n. 5.* atque FERD. HOMMELIVS *Rhaps. Obs. 270.* de-  
 fendit<sup>3)</sup>. Prima quidem opinio ratione destituitur, quanquam  
 enim verbum WYNDARZT isto sanctionis Carolinae loco chirur-  
 gum significat, quod WALCHIVS *gloss.* ad C. C. C. p. 553. mon-  
 stravit, tamen in anatomie cadaveris iam ista tempestate medicus  
 cum chirurgo adhiberi poterat, quod ipse REMVS adeo in *para-*  
*phrasi sua cap. 147.* et praxis istorum temporum, et perpetua con-  
 suetudo, optima legis in tali articulo interpres, satis declarat,  
 econtrario nec medico p[ro]e chirurgo aliquid tribui potest, cui,  
 quamvis arte praefset, quod tamen non semper dixerim, maior  
 nullibi tributa fuit auctoritas, METZGERI certe opinio, quam  
*System. med. for. p. 22.* tradit, iure communi et Saxonico fundata  
 non est. Altera opinio plus rationis habere videtur, res enim  
 incerta definiri debet, magistratus de re artis alienae iudicare  
 nequit, sequitur, ut definitio a medicis petenda sit. At vero  
 nulla lege necessitas magistrati criminali imposita fuit, ut in

B 3

pro-

3) ALBERTI *Syst. Iurispr. Med. prol. §. II.* quem sequutus est DEINLIN  
*diff. de medico inter sententias medico-legales discrepantes arbitrio tertio,* germa-  
 nice obmann, ait, superarbitrum eligi oportere, qui examinatis utriusque  
 sententiae rationibus alterutri accedat, eumque rei expedienda modum ar-  
 gumentis ab analogia causarum ciuilium petitis defendit. Sed nego a iudi-  
 cio ciuilis ad criminale inquisitorum colligi posse, ideoque tertii iudicium in  
 tali casu valere. Nec vius id fert.

proposita specie sententiam Facultatis Medicae exquireret<sup>4)</sup> potius statuere potest ac debet, rem ex opinione secantium esse dubiam, ideoque mitiorem sententiam esse sequendam. Etenim haec potestas non data solum fuit iudicii, sed iuris adeo est, vt in re dubia mitiorem sententiam amplectatur. Quare HOMMELIUS c. l. recte statuit: *quoties medici discrepant, benignior vel unius, potissimum autem secantis iudicium idque iurosum praeualeat.* Evidem nullus dubito ad has accedere partes. Quod si enim cadauer secantium iudicio traditur, criminis reus ex effatis eorum ius quaesitum adquirit, quatenus excusationi et defensioni inferuiunt. Quid enim semel in fauorem rei pronunciatum fuit, ipsi eripi nequit, quamuis si quid durius in viso reperto statutum, id refellere atque defensionis gratia ad iudicium Facultatis Medicæ prouocare queat. Fac autem vt iudex priore specie diffensum secantium Ordini Medicorum submiserit, id sua causa fecit, in sententia enim ferenda responsum, nisi in vno casu, effecta carebit. Etenim F. M. aut mitiorem, aut duriorem aut neutrām sequitur sententiam. Si nouam eamque mitiorem protulit opinionem, nihil dubitationis habet, quin pro sit reo, acta enim defensionis gratis ad Facultatem Medicam missa censentur, fin alterutri secanti accessit, aut mitiorem aut duriorem secura est partem,

4) Idem in Saxonia obtinet, nisi vno casu si criminis reus eiusue defensor fuorem, insaniam mentisue imbecillitatem obstat ait, quo minus factum admilum pro crimine imputetur. cf. MANDATVM wider Tumult und Aufzehr §. 23, et RESCRIPTVM an. 1797. datum, quo praecipitur: „in so ferne die Imputation eines Verbrechens und dessen Bestrafung von der Gewisheit der von dem Verbrecher oder von dessen Defensore vorgeschützten Verstander-Schwäche oder Zerrüttung abhängt und darüber Zweifel entsteht, jedesmahl vor Abfassung des Urteils die Acren nebst dem Gutachten des Physici oder eines andern verpflichteten Medici, der medicinischen Facultät eures Orts vorgeleget und deren Gutachten erwirret werde“ MANDATO c. §. 23. status talis hominis per plures medicos explorari et responsum peti debet: von Unserm Sanitätscollegio oder einer medicinischen Facultät Unserer Lande. Itaque rescripto c. huic legi obrogatum fuisse et transmissio actorum in casu tantum dubio pracepta videtur.

partem, illo quidem casu valet opinio mitior, sed haec ipsa est vnius secantis, hoc autem ius quaeſitum reo adimi nequit. Quare HOMMELIUS c. l. *si medicus, inquit, qui praefens sectionem peregit, non lethale vulnus pronunciauerit, capitaliter inquisitus non punietur, etiamſi centum Facultates Mediceae lethalitatem afferant.* Neque in hoc articulo refragatur Augustus Hommelius, qui transmissionem actorum suasit nec tamen quae praeualeat, nisi mitior opinio, definiuit. Fac autem, vt ſtatuaſ F. M. ſententiam, qua vulnus contra vnius secantis opinionem, prolethalii declaratur, anteponendam eſſe, certe criminis reo, de cuius capite et corio luditur, defenſio et ad aliam F. M. transmissione actorum denegari non debet, quid si haec ad mitiorem ſententiam inclinet? an nunc post temporis pecuniaeque iactu-ram certiores ſumus? et si haec quoque durius aliiquid pronunciauerit, vltior patet defenſio, et quis tandem exitus et ſumtuum et litis erit? Iudex igitur, qui ſententiam fert, tutiſimus ibit, ſi mitiorem opinionem ſequatur<sup>5)</sup>. Id ipsum adeo religio iudicantis exigit. ERNESTVS HEBENSTREITIVS, cui ferre accessit VDEN c. l. p. 165. progr. de corpore delicti, medici ſe-cantis culpa incerto apud SCHLEGELIVM Vol. IV. opus. ad med. for-ſpec. p. 99. nemini, inquit, dubium eſſe arbitror, a ſcalpello medici ſectionem adminiſtrantis vel vitam vel mortem rei dependere. Quid igitur, ſi ſcalpellus errauerit? ſi tremula, incertaque aut pota- manus vulnus ampliauerit, idque medicus non intellexerit, ſe-cans autem, vt celet errorem, nec tamen reo noceat, neget vulnus fuſſe lethale, alter autem affirmet? adde quod in ipſis medicorum ſcholis de lethalitate vulnerum magna eſt diſputatio, nonne religio ſuadebit iudici, vt in re dubia hominis vitae parcat? vt iuſtitiae diuinae vindicandum relinquat, cuius cau-fam

---

5) DEINLIN c. l. §. VII. ſegg. plures diſſensus tam inter ſingulos Do-ctores et Facultates medicas, quam harum inter ſe ex variis auctoribus col-legit et p. 14. vt hoc vnum addam, caſum retulit de laefione capitii, quam F. M. L. pro absolute lethali declarauerat, cui tamen L. et F. contradixerat, Facultas Luridica Francofurthenſis autem reum reum a poena ordinaria liberandum statuerat.

fam humana industria prudentiae eruere nequit? Quare CARPOZIVS P. I. Rer. Crim. Qu. XXVI num. 28. mitiorem partem amplectendam et poenam extraordinariam statuendam censuit, simulac dubitatio de corpore delicti oriatur.

## §. VI.

*Si dissensio oriatur inter visum repertum et Facultatis Medicar  
responsum, mitior anteponitur sententia.*

Visum repertum in qualitate vulneris mortisque causa certi aliquid constituit et lethale fuisse vulnus renunciauit, sed defensor, dubiis quibusdam huic iudicio oppositis, transmissionem actorem ad F. M. postulauit, aut iudex id ipsum sua sponte decreuit, fieri igitur potest, ut F. M. veram esse mortis causam, quam secantes allegarunt, neget, aliquam substituat, quaeritur, vtra sententia? visi reperti, an responsi medici? anteponatur. Mitiorem in proposita specie esse debere F. M. sententiam sua sponte patet, ideoque dubitari nequit, quin viso reperto et secantium iudicio praeualeat. Quod si vero inuerso ordine idem evenerit, si secantes negauerint, vulnera fuisse lethalia, infantem vixisse, violenta manu periisse, iudex autem nescio qua de causa, decreuerit transmittere acta ad F. M. vt maior forte corporis delicti certitudo in fauorem rei constituantur, sed responsum durius edatur, vulnus fuisse lethale, infantem vixisse, violenta manu periisse, renuncietur, quaeritur, anne hoc F. M. tanquam superioris et doctoris, responsum viso reperto secantium praeset? equidem etiam in hoc casu mitiorem sententiam, et in dato casu, visum repertum anteponi debere statuo. Etenim stant iureconsulti iudiciorum arte peritorum, quamdui id fieri potest, sed si inter hos ipsos dissensio oriatur, litis componendae legitimum remedium non adest, in arte enim receptum est, ut cessest superior iudex, quisque potius iudicium suum habeat, iudicis igitur est tutissimam viam ire, in criminalibus iudicis autem humaniorem mitioremque senten-

tiam

tiam sequi. Quam quidem regulam ab ipsa natura dictatam  
nostrates semper fecuti sunt. VLPIANVS cap. 10. D. de rebus du-  
biis; in ambiguis rebus, inquit, humaniorem sententiam sequi oportet,  
et MARCELLVS cap. 192. §. 1. de R. I. praecipit: in re dubia be-  
nigniorem interpretationem sequi, non minus iustius est, quam tutius.  
LEYSERVS spec. 598. med. 21 scribit: contingit saepius, ut medici  
de lethaliitate vulneris consulti dissentiant inuicem atque aliqui immedica-  
bile, alii sanabile renuncient. Habui olim in collegio iuridico praefidem,  
qui tunc simpliciter ultimum supplicium remitti atque in dubio benignior-  
rem sententiam eligi oportere crederet. Enimvero haec est et esse  
debet omnium cordatorum iureconsultorum sententia, nec dis-  
sentient medici, qui praecognitis opinionibus non sunt occo-  
cati. HEBENSTREITIVS c. l. p. 106. iudicat: pro de' inquietis sa-  
lute peccasse et defensori momenta excusationis suppeditasse medicos,  
atrox adeo crimen haud videbitur, quam quod committitur, si violenta  
manu peractum dicatur, quod casus tulit. Aliter quidem fenserunt,  
quos Princeps Saxoniae apud PLAZIVM diff. an in homicidio sectio  
et inspectio cadaveris necessaria sit? (Lips. 1727.) consuluisse dicitur,  
consilium enim p. 77. ad quaestione: wenn die Medici, ob der ge-  
schlagene an der Verwundung oder von einem andern Zufalle gestorben,  
vor gewiss nicht berichten können, oder auch hierüber nicht einig sind,  
ob sodann auf die poenam extraordinariam zu erkennen? ediderunt  
tale: Es scheint zwar, dass in diesem Falle, da die Medici, ob der  
Tod von der Verwundung oder aus einer andern Ursache, so noch ge-  
fährlicher als die Wunde, erfolget, unter sich selbst streiten und nichts  
gewisses determiniren können, in dubio vor den Gefangenen ein gelinder  
Urtheil, als welchen es sonst, wenn jene diesfalls einig wären, zu stat-  
ten kommen müsse, zu sprechen sey; nachdem aber in dieser himmel-  
schreyenden Sünde die göttliche Majestät selbst die Todesstrafe anbefoh-  
len mit dem nachdrücklichen Zusatz, dass das Land von dem Blute, so  
darinnen vergossen worden, nicht verfühnet werden könne, ohne durch  
das Blut dessen, der es vergossen, so ist von derselben nicht abzuwei-  
chen, es syg denn, dass der Thäter die wider ihm freitende stärkere  
Vermuthung, des verübtien bösslichen und vorsätzlichen Todtschlags ab-  
lehne, welches aber, da der verwundete, nach der Verwundung gestor-  
ben

XVIII

ben und solche sehr gefährlich gewesen, von ihm gebührend nicht geschehen, so soll er auch unter diesem Vorwand der Strafe des Schwerds nicht entgehen; sed in legem nunquam abiit haec consultatio, et quis nostra memoria ex talibus rationibus disputabit? Quare nec easdem refellendas mihi sumo, potius id ipsum, quod mihi hanc scribendi opportunitatem attulit, annuncio. Decreuit nimurum Ordo Noster

V I R O  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
ADOLPHO FRIDERICO ASTER  
ZIEGENRUGENSI  
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO

Summos vtriusque Iuris Honores solemnni more ac ritu in Auditorio Iureconsultorum conferre. Atque vt, quis sit Candidatus, quaeque tractauerit studia, legentes cognoscant, de vita sua haec mihi perscripsit:

*Natus sum Ziegenrugae die VIII. Julii MDCCCLXXVI. patre consiliario commissionis camerae atque praefecto Arnshaugkienfis et Ziegenrugenfis praefecture, matre vero oriunda ex gente SCHVHMAN-NIANA; quos optimos parentes, ut summum numen longum per tempus saluos ac fonspites seruet, submissis precibus efflagito. Etenim si fuere qui in me educando omnem operam nauarunt, et me primum priuatis institutionibus, in iis religionis et litterarum elementis, quae in puerilem aetatem cadere videntur, erudiendum curarunt. Ita preparatus A. MDCCXCI. in scholam Portensem studiorum causa me contuli, in qua mihi celeberrimorum praceptorum doctrina, moranti in domo HERESTII redditum praefecti, quocum non solum affinitatis sed etiam familiaritatis semper carissimae vinculo coniunctus sum, per quinquennium*

nūm frūi contigit, Anno MDCCXCV. Academiam Lipsiensem petī et a Viro Magnifico WENKIO academie fasces tunc tenente in ciūm academicorum numerum relatus sum. Praeter scholas philosophicas PLATNERI, HEIDENREICHII, et historicas WIELANDII, interfui scholis ICIORUM BAVERI, RAVII, ERHARDI, HAYBOLDI, TILLINGII et SCHNEIDERI, quibus omnibus in quoconque meo studio facem praeferentibus, iustas atque debitas grates publice persoluo. Disputatione super nonnulla iuris controverſi capita praeſide S. R. RAVIO publice habita, et superato examine pro praxi et candidatura apud Facultatem Iuridicam, Notariatum impetravi a Senatu Lipsiensi, et duce Viro Consultissimo D. CAROLO, mihi ad cineres caro, in applicanda theoria me exercui. Tandem examen rigorosum subii, iam vero in eo sum, ut summos in utroque iure honores qua decet modestia optem.

Quibus quidem precibus desideriisque non potuit non Iureconsultorum Ordo annuere, postquam Candidatus Doctissimus in utroque examine doctrinam suam iurisque scientiam Nobis satis probauit. Itaque Candidatus Doctissimus, vt votorum suorum compos reddatur, ex Decreto Ordinis die XXIII. Aprilis hora II. pomeridiana in auditorio Iureconsultorum L. I. Cod. de postumis heredibus instituendis vel exheredandis vel praeteritis lectionibus cursoris illustrabit, et die sequente XXIV. Aprilis disputationem; de simultanea inuestitura liberis iure Saxonico in feudis parentum interdicta, me Praefide defendet, quo facto Vir summe Reuerendus atque Illustris CHRISTIANVS RAV, Iuris Vtriusque Doctor, Ecclesiae Episcopalis Merseburgensis Capitularis, Supremae Curiae Electoralis Saxonicae et Facultatis Iuridicae Adſessor, Codicis in Studio Lipsiensi Prof. Publ. Ord. Academiae Decemuir e.c. Collega coniunctissimus, qui Promotoris munus beneole ſuscepit, Summos in utroque iure Honores cum omnibus iuribus privilegiisque, excepto uno succedendi iute in Ordine Nostro, Ipsi conferet.

Quae

Quae quidem vt illustriora reddantur, Vos, RECTOR  
ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PRO-  
CERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, COMMIL-  
TONES GENEROSSIMI, NOBILISSIMI que qua decet obser-  
vantia rogamus, vt indictam disputationem et solemnitatem  
VESTRA praeſentia splendidiorem laetioremque reddere  
velitis.

P. P. Lipsiae Dom. Quasimodogeniti A. R. S. cIoiccc.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAUBARTHIA.





**ULB Halle**  
006 377 238

3



Vd 18







1800 J.  
8

PROCANCELLARIUS  
D. CHRISTIANVS GOTTLLOB BIENERVS  
FACULTATIS IURIDICAE ADSESSOR  
SVMMOS IN VTRQVE IVRE HONORES  
VIRO PRAENOBILISSIMO  
ADOLPHO FRIDERICO ASTER  
IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREO  
IN AVDITORIO IVRECONSVLTORVM  
A. D. XXIV. APRILIS CCCCCXCI.

SOLEMNITER CONFERENDOS

INDICIT

*Praemissa est prolusio*  
*DE FIDE IUDICIALI*  
*circa corporis delicti certitudinem in diffensionibus protocolli iudicialis et visi reperti secantiumque inter se, nec non visi reperti aut unius alteriusue secantis et Facultatis Medicæ recte aestimanda.*